



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cura Salvts, Sivæ De Statu Vitæ Mature ac Prudenter Deliberandi Methodus**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniae, 1716**

**VD18 13912755**

Oratio Ad Boni Consilii Matrem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50144)



qui sunt in terris, & quæ tibi placent, didicerint homines. Sap. 9. Concede proinde mihi misericors DEUS, quæ tibi placita sunt ardentè concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere, & perfectè adimplere; ad laudem & gloriam nominis tui ordina statum meum; & quod à me requiris, ut faciam, tribue ut sciam, & da exequi, sicut oportet, & expedit animæ meæ.

*Ora: Veni Sancte Spiritus, &c. ut passim habetur in libellis precatoriis, vel Litanias de S. Spiritu.*

## ORATIO

*Ad Boni Consilii Matrem.*

**O** Sanctissima, & humani generis amantissima Virgo! in cujus tutela & protectione omnem post DEUM salutis meæ spem collocavi, tu nōsti intima cordis mei, scis, quod à primo rationis usu mecum creverit, & adoleverit filialis erga te fiducia; cui etiamnum innixus tot inter salutis pericula, velut parvulus, ad sinum Matris confugio! Recordare ô pia! ô dulcis Mater! quoties animam meam, ejusque



salutem æternam tibi commendaverim ; nunc, dum de vitæ statu delibero, tuos misericordes oculos ad me converte, huc, illucve titubantem gressum dirige; in hac caligine versanti lumen accende, quo illustratus DEI, unigeniti Filii tui, tuamque circa me voluntatem agnoscere, ac eum vitæ statum, in quo ille salvandum prævidit, eligere ac consequi possim. En ego me in tuam, Filii tui manum & sanctissimam voluntatem ex toto resigno, fiat de me, & in me, & circa me, Voluntas vestra, sicut in cælo & in terra!

*Ora in memoriam 9. mensium, quibus Christum in utero gestavit B. Virgo, totidem Ave Maria, pro bono Consilio.*

## ORATIO

*Ad SS. Ignatium & Xaverium.*

**O** Magni animarum directores & spirituum discretiores SS. Ignati & Xaveri! qui directione, & intercessione vestra innumeris cæli semitam ostendistis; videtis me de vitæ statu eligendo sollicitum, ideo ardentissimum vestrum animas salvandi zelum imploro, ut in hoc maximo æternitatis beatæ negotio auxilio, consilioque vestro, ac apud  
DEUM